





IV.  
DISSE<sup>R</sup>TAT<sup>O</sup> AVSPICALIS IVRIDICA  
DE  
**REO NON ABSOLVENDO**  
ETIAMS<sup>I</sup> ACTOR  
**PROBATIONE DEFECERIT**

QVAM  
LLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE  
SVB MODERAMINE  
VIRI ILLVSTRIS ET CONSVLTISSIMI

**OANNIS GVIELMI GADENDAM**

I. V. ET PH. D.  
A CONSIL. IVSTITIAE ET IVRIS P. P. O.  
**PRO LICENTIA**  
SVMMOS IN VTROQ. IVRE HONORES  
LEGITIME CAPESSENDI  
D. XXIX. APRIL. CIO IOCC LXVII.  
PVBLICE DEFENDET  
AVCTOR  
**CAROL. HENRIC. CHRISTOPHORVS BVCK**  
RAHLSTEDIO-HOLSATVS.

KILIA E  
IN OFFICINA BARTSCHIANA.

DISERTATIO ASTRONOMICA IRIDICA  
DE  
REO NON ABSOLVENDO  
ETIAM VOTOR  
PROGREGATIONE DECRETI  
IN  
SOCIIS SECRETORIIS ORDINIS ASTRONOMICAE  
SACRAE CODICIVM  
TYPICVM ET CANTICVM  
LAMMISCHI MAGDENBURG  
GENNII INSTRUMENTI ET TABERNACULI  
PRAEFECTIO CATHARITAR  
SALVATORIS IN ALTO GAVE HONORE  
HIC DILECTUS CAPITELLUM  
HIC DILECTUS DEUTERIUS  
HIC DILECTUS DEUTERIUS  
HIC DILECTUS DEUTERIUS  
CAROLI HENRICI CHRISTIANOLVS RACK  
KATHARINA HOCZATZ  
KILLIA  
IN OCTOGENARIO BARTHOLOMEI

ILLVSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO  
DOMINO  
**CHRISTIANO**  
S.R.I. COMITI DE RANTZAV  
DOMINO IN ROGGENDORF ET HARKENSEE  
REGIAE MAIESTATIS DAN. NORVEG.  
PRAEFECTO CVBICVL ET CONSILIARIO  
PROVINCIALI

DOMINO SVO BENIGNISSIMO

hoe, quidquid est, opellae, submissa venera-  
tione offert & dedicat, coque, tamquam moni-  
mento publico, pietatem perpetuam, atque gra-  
tum

OMNIUM memoremque summi favoris, quem a  
paruulo expertus est, animum testatur. Quod  
reliquum est, DOMINO COMITI, IPSIVS.  
QUE ILLVSTRISSIMAE CONIVGII,  
certam & firmam incolumitatem adprecatus,  
ILLORVM gratiae in posterum enixissime  
se commendat

ILLVSTRISSIMO NOMINI RANTZAVIANO

Dab. Kilae  
d. XXIX. April.  
CIC 10CC LXVII.

maxime obstrictus & addictus  
CAROLVS HENRICVS CHRISTOPHOR. BUCK.

quem a  
Quod  
IPSIVS-  
NIVGI,  
precatus,  
nixissime  
VIANO

etius  
R. BVCK.

DE REO NON ABSOLVENDO  
ETIAMSI ACTOR  
PROBATIONE DEFECERIT.

§. I.

**N**otissima iuris regula: *actore non probante reum absolu*, eo certior & expeditior vsu generali videri poterat, quo magis illa legibus clare expressa, passimque reperita est. Nouis iam traditur Iustinianis quodam modo §. 4. J. de Interd., confirmatur L. 4. C. de ed. L. 23. C. de probat., & ad varias causarum decisiones in libris iuris civilis accommodatur, vti L. 25. D. de iure fisc. L. vlt. C. de R. V. Non minus iure canonico recepta atque stabilita est, quippe legem 23. C. de prob. integre exscriptam reperrimus c. 2. C. 6. qu. 5., voce tamen actoris in *accusatorem* mutata; quare putares forte, illam ex sententia papali causis criminalibus praecipue congruum iudicari. Verum in aliis quoque causis, quod ad hanc regulam attinet, ius canonicum cum ciuili pulchre conspirare, satis demonstrat c. vlt. §. sane X. de iureiur., c. 3. de caus. propri. & possess., vt plura praeteremamus. Iure igitur utroque consentiente, quo actori probandi onus imponitur, nisi causa cadere, simulque poenam temere, aut incommodum frustra, litigantium subire velit: mirum sane non est, solertes causarum patronos adhuc hodie, ante quam actoris partes suscipiunt, in probationis fundamenta sedulo inquirere solere. Etenim ius ciuale romanum per Germaniam ius commune

A

consti-

Regula:  
actore non  
probante  
reum ab-  
solui.

constituere, cui omnes adsueerunt, scriptores in petendis ex eo fundamentis, scholae in legendo & disputando, forum denique in iudicando, consulendo, patrocinando, post alios HENR. LINCKIVS adfirmat (a).

(a) In diff. de iuris iustiniianei receptione atque auctoritate in Germania. conf. STRYK. de vsu & auctor. iur. rom. in foris German. §. 27. & SCHILTERVS Praxi iur. rom. Exercit. I. §. 12.

## §. II.

Eius ratio,  
quia partes  
rei sunt  
fauorabi-  
liores.

Vt benignius cum reo, quam cum actore, agatur, statuit L. 125. de R. I., idem L. vlt. §. 2. C. de ed. singulari exemplo comprobat, & L. 38. D. de re iud. amplius declarat. Idcirco mirum videri nequit, fauorem, quo reus iure suo fruitur, eo vsque pretendi regulariter, vt ab onere satis graui, cuiusmodi est probatio, immunis praestetur. Euidens ita fore regulae proposita ratio, quare reus absoluendus; licet alias condemnari deberet, nisi actoris vel imperitia, vel impedimentum, victoriā illi conciliaret (b). Quam ob rem & regulam, & usum eius generalem, haud quidquam restringere posse videtur, vbi non ipsa solum, sed etiam illius ratio, legibus expressis luculente sustinentur. Equidem ius ciuale rom. in vniuersa fere Europa propter ea praecipue receptum esse, vulgo opinantur, quod ad aequitatem naturalem prae aliis quam proxime accedit, & velut perfectius artis iuris, atque omnes aliarum gentium leges, exemplar exhibit; ideoque in imperio romano, quoties lege speciali, aut consuetudine, nihil definitum extat, ad illud, tamquam aequissimum, recurrere iudices,

judices, praeter complures statuit ERIC. MAURITIVS (c). Verum tamen ipsa illa aequitas naturali ratione naturatur, necesse est, qua definite perspecta, iudicare demum possumus, an lex aqua aut iniqua contineat.

(b) Approbare eam rationem viderit Illustr. Dom. de CRAMER  
in den Wetzlar. Beitraegen P. IV. N. XII. §. I., quam non minus  
clare prodit EVERARD. BRONCHORST. in Comment. ad Tit.  
de R. I. ad L. 125.

(c) de libris iuris communis §. XXII.

### §. III.

Id vero, ut iudex in partes rei magis, quam in partes  
actoris, benigna inclinatione semper propendeat, cum  
aequitate naturali bene conuenire, non putamus. Iudi-  
cem enim decet, veritatem facti cum argumentis iuris  
vtrimeque aequo animo diligenter inuestigare, atque, his  
demum omnibus probe expensis, sententiam pronuntiare  
legibus & aequitati congruam. Ita, ratione duce, iudicem,  
eiusque officium, animo concipimus; ita leges ciuiles eius  
imaginem, scilicet qui esse debebat, exhibent. At nihil  
obesse magis potest integratam & aequitati, quam fauor aut  
odium partium, intempestive concepta. Non adsingamus  
igitur legibus romanis aliena, quae earum auctores non  
cogitarunt, quae sine dubio ipsis reprehenderent, si id ho-  
die liceret. Quin audiamus inter aemuli iuris auctores  
BONIFACIVM VIII., CAIVM ICtum hoc modo interpre-  
tantem: *cum sunt partium iura obscura*, reo fauendum est ma-  
gis, quam actori. Reg. 11. de R. I. in 6., alias in iudiciis non

A 2

est

An iuri &  
aequitati  
naturali  
congruat  
eiusmodi  
fauor?

An conue-  
niat cum  
iure rom.  
ciuili & ca-  
nonico ge-  
neratim?

in peten-  
is purando,  
ocinando,

itate in Ger-  
in foris Ger-  
it. I. §. 12.

, agatur,  
. singulare  
lius declara-  
re reus iure  
ab onere  
praestetur.  
reus ab  
ctoris vel  
liaret (b).  
em, haud  
sa solum,  
sustinen-  
e Europa  
pinantur,  
oxime ac-  
siliarum  
perio ro-  
nihil defi-  
recurrere  
judices,

est acceptio personarum habenda Reg. 12. cod. Non puder glossam iuris canonici fateri: hanc regulam descriptram esse a L. 125. D. de R. I., neque nos dedecet, eamdem legis interpretationem adhibere (d); si quidem, vbi quid dubium & occultum est, ibi humanitas semper inclinat in lenius & in melius. Iam vero veritas regulae, *de maiore fauore in iudiciis reo, quam actori, impertiendo, non impugnatur* quidem, multo minus tota destruitur, sed restringitur saltem ad certum euentum, nempe eum, vbi paria virtus que argumenta causae adparent, & vbi simul factorum gestorumque fides utrumque anceps, dubia, & obscura proditur. Sane quam ICri romani codem iudicio stererunt circa sermonem dubium & ambiguum, reo beneficium singulare non attribuentes, sed illud cum actore aequre communicantes L. 12. D. de reb. dub., L. 66. D. de Iudiciis, neque minus in factis plane dubiis eam interpretationem amplexi sunt, quae in meliorem partem verri poterat. Denique error, in petitione commissus, actori non nocet §. 34. I. de A&t.; nocere autem deberet, si iudicis officium esset, ut reum maiore fauore in omnibus complectetur, neque umquam plus actori, quam in libello petiit, alias posset adiudicari, id quod tamen interdum fieri certum est (e).

(d) DAV. MAGIRVS in Praelect. ad Tit. D. de R. I. L. 125.

(e) LEYSER, ad Pand. Spec. XXXVII. m. 7.

Olim qui-  
dem in fo-  
ro rom.lo-  
cum forte  
habuit.

#### §. IIII.

Experientia, vsu fori subnixa, non minus conuincimur, eiusmodi fauorem, pro reo generatim concipiendum, summam

summam secum ferre iniuriam. Tot enim rei, pertinaciter negantes, si modo fidem, alias male ambulantem, artificiose simulari posse sperant, reperiuntur, quam actores, speciosam calumniam sub iuris effigie iudici insinuantes, immo obtundentes. Ceterum euenire utique poterat prima rudique iudiciorum romanorum aetate, vt in fauorem reorum homines facile inclinarent, quippe quos pronos ad miserationem reddit aliorum calamitas; miseratione autem sine fauore, saltem aliquo, vix nascitur. Duci, trahi, rapi obuium forte, nihilque tale suspicantem, obtorto collo ad tribunal praetoris (f), incommodum, aduersum, adeoque triste est, praesertim, vbi pauper, & ob ipsam paupertatem miser, duri creditoris, aut improbi foeneratoris, seruitio addicitur (g). Eiusmodi debitores, aes alienum non negantes, *rei confessi* audiebant. Quis eorum non misereretur? quis autem, misericordia ductus, talis rei partes non iudicaret fauorabiliores? Fortasse haec regula illis temporibus originem debet, quippe quod eo magis ad similitudinem veri accedit, quo saepius, immo quotidie in compluribus, talia spectacula exercebantur; posteaque, mutata licet in melius iuris forma, vti plura antiqua, in recentioribus locum obtinuit.

(f) VLR. HYBERVS in Prælect. iuris ad Institut. Tit. de poena tem. litig. §. 5.

FRANC. POLLETI Histor. fori rom. L. V. c. I.

(g) conf. HEINECCII Antiquit. rom. ad Institut. Lib. III. Tit. 30. Quam ob rem Licinius apud LIVIVM L. VI. cap. 36. patricios reprehendens, *an placret, inquit, scenoare circumuentam plement, ni potius, quam fortē, creditum soluat, corpus in nervum ac supplicia dare,* & gregatim quotidie de foro addictos duci.

A 3

§. V.

od. Non  
lam descri-  
et, eamdem  
vbi quid  
inclinat in  
e, de maiore  
n impugna-  
restringitur  
paria vtrius-  
al factorum  
& obscura-  
cio steterunt  
neficium sin-  
aeque com-  
judicii, ne-  
tionem am-  
erat. De-  
on nocet §.  
ficiium esset,  
etur, neque  
alias posset  
m est (e).

L.125.

as conuinci-  
cipiendum,  
summam

At in iudi-  
ciis nostris  
hodie ge-  
neratim  
adhiberi  
non potest.

Cuius rei  
causa ad  
aequitatem  
Germano-  
rum non  
est confu-  
giendum.

Vt cumque sit, iurisprudentia sensim magis ad praecepta aequitatis atque humanitatis admodum data, reorum insignis fauor non amplius locum habuit sine causarum discrimine (h), neque admitti potuit, vti §. III. demonstrauimus. Cuius regulae, tamquam principii, usum generali destructo, luculente adparer, neque admittendam generatim esse alteram, qua reus quilibet, auctore non probante, debet absolvi. Itaque non opus est, ad aequitatem Germanorum speciatim confugere, aut, quod ad hoc quidem attinet, contra leges romanias singulare praesidium in illis conquirere. Etenim Germanorum integritas morumque innocentia in eo maxime conuenit cum fide romana, quod utraque in primordiis suis summa & eximia fuisse videatur. Vti autem luxus asiaticus romanam temperantiam penitus subegit: ita Germanorum probitatem frequentia cum Italiam commercia successu temporis non minus corrumpere coepерunt. Quare saepius ad maiorum nostrorum simplicitatem atque integratorem, prout TACITVS eam strictim depingit, frustra prouocamus. Namque ab illis temporibus, quod ad iurisprudentiam nostram, moremque iudiciorum hodiernum, admodum, vix quidquam superest, & e reliquis, quae antiquarum legum germanicarum titulo adhuc superbiunt, pleraque extra patriam conditae sunt, quas recte leges Germanorum, minus recte germanicas, adpellamus (i).

(h) Quem ad modum praeter alios CARPOVIVS legem 125.  
de R. I., instar rationis generalis, saepius adhibere solet, vti L.  
I. Resp. 73. n. 3. L. II. R. 8. n. 17. L. III. R. 12. n. 11.

(i) Ob.

(i) Obseruante id SAM. STRYKIO in disc. praelim. de vsl & auct.  
iur. rom. &c. §. 4. ff.  
conf. FRID. GREG. LAVTENSACK Specimen iurisprudentiae  
otiosae §. 14. f.

## S. VI.

Praeter ea Germanorum leges antiquae complura capita passim continent, quae e iure ciuili romano descripta esse, nemo non videt. Namque odio diuturni dominatus, & aemulatione gloriae, nomen quidem romanum non passi, ipsas tamen leges suo nomine amplexi sunt. Nolumus, inquit Visigothorum rex, sive romanis legibus, sive alienis institutionibus, a modo amplius conuexari; attamen simul permittit & optat, alienae gentis legibus ad exercitium utilitatis imbui, modo ad negotiorum discussionem non adhibeantur. Lib. II. Tit. I. c. 9. Leg. Visigoth. Mirum igitur non est, materiam probationis etiam romanae iurisprudentiae fontes redolere. Sic L. 2. C. de Probat. in edicto Theodorici regis §. 132. reperitur, si rem, non sola verba, consideres. Evidem fundamenta doctrinae: de reo non absoluendo, licet auctor non probauerit: in L. II. T. II. c. 5. Leg. Visigoth. posita esse, forte opinetur quisquam, quippe "in quacumque causa ciuili utrique parti, tam agenti, quam excipienti, probatio salua & integra permititur; iudici autem mandatur, ut recto iudicio discernat, quis clariora & fortiora argumenta adhibuerit. Quodsi nihilominus dubia decisio videatur, tum reus sacramento culpam expiet." Verum in L. 3. §. 2. D. de Test. HADRIANVS rescripto iudicem adhortatur: ne ad vnam probationis speciem cognitionem

statim

Complures  
Germano-  
rum leges  
antiquas e  
romanis  
haustas  
esse.

(i) Ob.

statim admodum, neque minus L. 19. & L. 25. §. 2. D. de probat. a reo excipiente probandi quasi officium exigunt, porro L. 3. C. de reb. cred. inopia probationum per iudicem iureiurando, causa cognita, rem decidi oportere, luceiente praescribit. Multo rigidiorem atque rudiorem hac de re legem originis vere germanicae infra exhibemus.

## §. VII.

Regula §. 1.  
proposita  
valet a) in  
processu  
accusatorio  
fori romani.

Vna superesse causa videtur, vbi deficiente probatio-  
ne quilibet reus statim absoluendus, scilicet criminalis,  
quae fori romani more delatione, inscriptione & subscrip-  
tione (k) inchoari, accusatione & probatione perfici, so-  
lebat. Accusatorem probare crimen oportuit iuris ordine  
& necessitate, aut idoneis testibus, aut apertissimis instru-  
mentis, vel indicis indubitatis & luce clarioribus L. vlt. C.  
de probat., quibus destitutus, reo falso, poenam accusa-  
tor subire debuit (l). Exulem reprobatumque iuris iurandi  
vsum in criminalibus causis fuisse, quod quidem ad proba-  
tionem aut criminis, aut innocentiae, iam demonstratum  
videtur, adeo vt ne quidem opus fuerit, accusatorem cal-  
umniam iurare, quippe qui subscriptione sua temeritatis  
poenae se Sponte subiecerat: reus autem, vt vitam redi-  
meret, peririi suspectus non haberi non poterat. Ne-  
que vnum huius rei exemplum in historia romana inueni-  
mus. An operae pretium sit, leges moresque, quae in  
Germania circa accusationem criminum olim obtinuerunt,  
operose conquirere, dubito. Probationem Germanos  
exegisse, certum est, qua deficiente, delator aut accusator

poenam

poenam non effugit. Ostendit quodammodo illud pactus legis salicae, quam & vere germanicam, & inter germanicas antiquissimam esse, cum CONRINGIO (m), HEINECCIVS (n) demonstrat, Tit. LI. §. 2. & Ripuariorum lex cap. XXXVIII. idem confirmat. Ast huic rei diutius non immoramus, postquam, accusatione ad formam romanam e iudicis nostris proscripta, inquisitio in eius locum hodie successit.

(k) ANT. MATTHAEI Commentar. de crimin. ad D. Lib. XLVIII.

Tit. XIII. cap. 6. vbi n. 5. formulam subscriptionis e Brilonio adserit.

(l) THEODORICI iudicium crimin. cap. IV. Aphor. VII. n. (d)

(m) Lib. de Origine iur. germ. c. VII.

(n) in praefatione ad GEORGISCHI Corpus iuris german. antiqu.

### §. VIII.

Accusationi criminali alteram addimus causam, ciuilem, vbi reus, deficiente actoris probatione, absolutionis beneficio aequa gaudet, tametsi nihil ipse praestiterit, scilicet ea sub conditione, qua actor reum, simpliciter negantem, neque testibus aut scripture documentis conuincere, neque argumentis rerum conuellere, neque certis indicis confundere posset. Hic forte id, quod inter multa alia, quae brocardorum titulo vulgo circumferuntur: *paria in iure iudicari, non esse & non adparere*, optime locum sibi vindicat, modo caueas a verborum captione, neque vocabula, adparere & probari, eadem significare opineris. Causam igitur supponimus eiusmodi, quae neque claris testimoniosis firmari,

B

b) vbi de  
iure actoris  
nihil plane  
adparere.

poenam



firmari, neque probabili ratione induci in animum iudicis potuit. Vterque probandi modus, & plenus, & imperfectus, homini saepius pariter rem persuadet, propter eaque sufficit ad fidem iudici conciliandam, legalem alter, alter moralem: vroque tamen casu res adparer aut certa, aut vero similis. Notum vulgo est, praetorem romanum dedisse iudicem, qui de facto praecipue cognosceret, addita decidendi formula: si paret, *absolue*, aut *condemna*. An hac ratione amplior iudicii libertas potestasque in primis, pro rei controuersae conditione admittendi aut reiiciendi probationem, ei concessa fuerit, paulo post latius explicandi erit occasio. Illud saltem anccps dubiumque videri nequit amplius, quo modo *esse* & *adparere* aut componi, aut disiungi, debeant; quare regulam: quod reus, actore non probante, statim absoluendus sit, ad eum euenum praesertim restringimus, quo de actoris iure nihil plane adparer.

Probatio  
legitima  
haud exi-  
guis diffi-  
cultatibus  
obnoxia.

Fidei mentionem iniecumus, quam iudici facere deber probationem peracturus. Si cum philosophis res nobis esset, vereor, ne, salua fide iudici facta, veritatem tamen gestorum in dubium vocarent, si quidem fidei, vt opinioni probabili, id, quod scientia nititur, certum opponere solent. Hoc non nisi solidis rationibus, ex principio deductis, iustoque ordine dispositis & connexis, euinci sta-  
ruunt; cum in materia iuris certum haberi debeat illud, quod legitime probatum est. Verum ea probatio, quo magis

rum iudicis  
, & imper-  
let, propter  
galem alter,  
er aut certa,  
m romanum  
osceret, ad-  
ut *condemna*.  
testasque in  
mittendi aut  
o post latius  
dubiumque  
re aut com-  
quod reus,  
d eum euen-  
s iure nihil  
  
acere deber  
is res nobis  
atatem tamen  
ei, vti op-  
on opponere  
principio de-  
, cuinci sta-  
lebeat illud,  
obatio, quo  
magis

magis solemnis, quoque magis perfecta suscipitur, eo ma-  
iore difficultate implicita videtur. Circumscripta enim est  
tempore, forma, modo, solemnitate, &, si vel ea omnia  
felicitate cesserunt, forte conditio testimoniū impugnatur, aut  
dictorum concordia male cohaerere arguitur. Ingeniosas  
& nimis fere scrupulosas exceptiones contra personas te-  
stimoniū, ne suspecti habeantur, leges romanae suppeditant,  
quaē licet arbitrio iudicis ubique relinquuntur, praeter ea-  
que iudiciorum praxis hodie earum temperamentum ad-  
hibeat, alias admittat, alias negligat, aut pro materiā di-  
uersitate discernat (o): attamen summum artificium, quo  
veritas plerumque dubia redditur, totaque testimonii fides  
paene corruere debet, in interrogatoriis, quae generalia  
ad causam seu præliminaria vocant, vbi iis vti adhuc licet,  
continetur. (p) Vix enim umquam accidit, vt testis, præ-  
fertim ingenii acumine, aut tenacis memoriae beneficio  
destitutus, intericto temporis interuallo, ad articulos scire  
dispositos eadem in omnibus recinar, quae antea ad inter-  
rogationes longius quasi negligenterque petitas, varioque  
colore illatas, iam depositus. Hoc modo artificioſa con-  
tradiccio testi quasi extorquetur, quae, aculeato oratoris  
sophismate armata, ad implicandum iudicis iudicium haud  
raro large sufficit.

(o) conf. LEYSERVUS Meditat. ad ff. Specim. 283.

(p) Extra Saxoniam in pluribus locis ea tolerari, ait Celeberr. ICtus  
Io. Avg. HELLFELD in Iurisprud. forensi §. 1182. Ait pluri-  
bus etiam extra Saxoniam prouinciis, e.g. in ducatis meclen-  
burgico & magdeburgico, in Lusatia superiore, Thuringia, tri-  
bunali wismatiensi summo &c. illa prohibita esse, testatur  
MARTINI Comment. forensi Tit. XXX. ad §. 2. n. 3., neque minus

in ducatu brunsticensi, cellensi, bremensi, & episcopatu hildesi interdicta, docet Ill. PVENDORFIUS Introd. in proc. elect. brunswico-lunenburg. P. III. c. VII. §. 32., quin de prouinciis marchicis, hassiacis & ciuitate Francofurti idem assent, atque adeo interrogatoria praeliminaria ad causum per totam fere Germaniam reprobata esse, refert IO. FRID. SEYFART im teutschen Reichs-Proces. Cap. XIII. §. 20.

## §. X.

Propter  
ea inopia,  
aut defec-  
tus, sacerdotes  
laborat.

Haec modo dicta incommoda integritatem probatio-  
nis valde impediunt, eoque efficiunt, ut eius in compluri-  
bus causis aut inopia, aut defectus, deprehendatur. Equi-  
dem utroque vocabulo eamdem rem exprimi, forte vide-  
bitur iis, qui paria aestimant inopem esse, & deficere sub-  
fidiis necessariis. Ira sane acutissimus CVIACIVS (q) iu-  
dicat, utrumque non nisi gradu ab altero distinctum esse,  
statuens, quam ob rem illi defectus probationis dicuntur,  
*vbi nullae suppetunt probationes, ideoque iudex omni modo reum*  
*debet absoluere: inopia, si quedam suppetunt, sed anticipes &*  
*parum idoneas.* Contra vero GERARD. NOODT (r) de-  
fectus voce complectitur etiam probationem imperfectam,  
&, ad demonstrandam secundum leges rei veritatem, mi-  
nus sufficientem: inopiam vero interpretatur, *vbi tanta*  
*utrimque adegit probationum copia, ut noceat, ac turbet: adeo vbi*  
*par causa & ratio, neque valida in alteram inclinans partem.* Ra-  
tiones, quas ad fert, ex usu & analogia linguae in primis  
deductae, non sunt nullius momenti, &, quamvis parum  
interesse discriminis videatur inter utriusque opinionem;  
ambae tamen bene conciliari nequeunt, si quidem alter iu-  
ris*risiu-*

scopatu hilde-  
trod. in proc.  
de prouincis  
asserit, atque  
ram fere Ger-  
R T im teut-

n probatio-  
n compluri-  
tur. Equi-  
forte vide-  
eficere sub-  
ivs (q) iu-  
nctum esse,  
nis dicitur,  
modo reum  
incipites &  
DT (r) de-  
perfectionam,  
titatem, mi-  
, vbi tanta  
et: adeo vbi  
ararem. Ra-  
in primis  
nus parum  
pinionem;  
em alter iu-  
risiu-

risurandi religionem ad inopiam probationis tantum adstringit, cum alter illam in probationis defectu non minus admittat.

(q) Obseruat. L. XXII. c. 28. & L. XX. c. 28.

(r) Probabil. iur. ciu. L. III. c. 6.

### §. XI.

Sit igitur defectus probationis, si eius inopia, neutro casu id actum esse videtur, quod perfici oportuit. Vbi enim probatio requiritur, in dubio per istam vocem plena intelligitur, vtpote quae speciatim probationis nomine venit (s). Quam ob rem probasse non dicitur is, qui tantum presumtionibus, aut imperfecte, sed qui plane probauit (t). Neque deest ratio, expressa lege subnixa, cur ita concludamus. Quoties vitiose cautum vel satisfactum est, non videtur cautum. L. 6.D. qui satisd. cog. Num vero probauit, qui probationem secundum leges omnibus modis absolutam non praestitit? Sane quam vitiose probauit, & nihil egit, propter eaque celebrata regula optime locum hic vindicare sibi videtur: paria esse, plane non facere, & non facere debito modo. Miseram actoris conditionem, cui, licet iure abunder, contra reum praefracte negantem probatio deest! infelicem, vbi hominis, cuius conscientia fretus postulauerat, testimonium morte, casuue humano, intercidit, aut vbi aduersarii calliditas rei veritatem calumniae nebulis inuoltuit, iudicisque iudicium hoc arrificio dubius oppugnat & implicat (\*). Nulla salus his casibus actori supereriset, quin potius cum detimento rei

B 3

fami-

Non pro-  
bat actor,  
si imperfe-  
cte probat.

familiaris certam repulsam ferret, si ob solum defectum plenae probationis reus absolui deberet, & sic iniuria victor euaderet.

(s) STRYK. de Prob. semipl. C. I. n. 5. LAVTERBACH. Coll. Theor. pract. Tit. de prob. & praef. §. VII. ZANGER. de except. P. II. cap. XXI. n. 75.

(t) RITTERSHVS. in Consil. Altorfian. Resp. LXXXIX.

(\*) Hodie, inquit III. BOEHMERVS, aduocati, more consueto, impudenter quaevis ut plurimum negant, quo onus probandi actori difficultius reddatur. Scunt, se impune mentiri, immo artificium aduocati prudentis in eo situm esse credunt, ut minime bonam fidem agnoscant, aut candide agat, quia alias parum fideliter clienti suo se consulere, iudicat. I. E. P. Lib. I. Tit. XXXVII. §. IV.

### §. XII.

Tantam iniquitatem leges ciuiles non sustinent: plenam perfectamque probationem requirunt, vbi ea haberi potest; imperfectam admittunt, si quando ulterius penetrari nequit. An recte distinguatur in plenam atque semiplenam, & an gradus dentur, e quibus semiplena maior aut minor legitime diiudicanda, perinde nobis est, cum de verbis magis, quam de re, controuertere videantur, qui eius rei causa litem mouere, aut motam fouere, student. Coepit ea controuersia a CVIACIO (u), deinde continua (v), eademque ad nostram usque aeratam protracta est, quippe b. SAMVEL L.B. DE COCCETI (x), ICtus inter primos sane eximius, semiplenam probationem iure civili cognitam, actoremque, qui semiplene saltem probat, probare, negat. Admitti autem legibus ciuilibus imperfectam

Lex ciuilis  
probatio-  
nem im-  
perfectam  
admittit.

Etiam probationem, dubitari nequit, licet adfirmare non  
 audemus, ex eiusmodi probatione sola rem decidi debere;  
 L. 5. & 6. C. de probat. Adminicula enim probationis, per se  
 non sufficientis, sola non absoluunt id, quod iure ad pro-  
 bandum requiritur, neque illud, quod adminiculis aliis  
 eger ad faciendam fidem, probationem in se absoluit.  
 Vtique autem concurrente, quorum alterutrum solum im-  
 perfectum quidem erat, perfectum tandem nascitur. Re-  
 ste igitur duas imperfectas, seu, uti loquuntur, semiple-  
 nas diuersi generis, coniunctas in eadem causa, plenam  
 probationem perficere statuunt (2); quod tamen repugna-  
 ret, nisi unaquaque imperfecta in se aliquid ponderis  
 adferret. Praeterea maximum, inquit CAIVS L. 1. D. de  
 iureiur., remedium expediendarum litium in usum venit  
 iuriurandi religio. Quid, quaeſo, opus erat eo remedio,  
 si probationem actoris perfectam victoria, debilem vero  
 & imperfectam iactura causae, necessario sequi oportuit?  
 Exactum fruſtra erat sacramentum, vbi ſola probatio abſo-  
 luta litem dirimere plane poterat & debebat. Non agi tan-  
 tum de iureiurando delato a parte aduersa, ſed de eo etiam,  
 quod officio iudicis alterutri litigantium imponitur, ipsa  
 legis verba clare docent. Idem CAIVS L. 31. eod. tit.  
 pergit: *Solent ſaepi iudices in dubiis cauſis, exacto iureiurando,*  
*ſecundum cum iudicare, qui iurauerit.* Exactum iuriurandum  
 hic iterum illud denotat, quod iudex, non quod pars, exe-  
 git. Iurauit is, cui iudex iussit: liberum igitur fuit, exi-  
 gere iuriurandum aut ab auctore, aut a reo, dum modo  
 cauſa fuerit dubia. Eiusmodi cauſam non ſolum ex inopia,  
 prou Noootio placet eam vocem interpretari, ſed ex  
 defectu

n defectum  
 iuria victor  
 BACH. Coll.  
 GER. de ex-  
 X.  
 ore conſueto,  
 nus probandi  
 entiri, immo-  
 dum, ut mi-  
 quia alias pa-  
 E. P. Lib. I.

inent: plē-  
 ea haberi  
 terius pe-  
 nam atque  
 iplena ma-  
 ois eſt, cum  
 videantur,  
 ouere, ſtu-  
 cende con-  
 protracta  
 Cetus inter  
 iure ciuili  
 obat, pro-  
 s imperfe-  
 ctam

defectu etiam, quo probatio imperfecta laborat, emergere iudicamus. Neque adeo in criminalibus causis, si qui *sine accusatoribus* in custodiam recepti erant, ad decernendam quaestionem *probatione* opus fuit, sed *suspicionibus* vrgeri eos, satis duxerunt, L. 22. D. de quaest. & argumentis verisimilibus *probabilibusque uti*. L. 8. §. 1. C. eod. Quibus legibus argumentum B. HEINECCII, (\*) quo inter alia semiplenam probationem e iure civili profligari putat, destruitur.

(u) ad c. 23. X. de test. & attestat.

(v) conf. MEIERI C. I. A. Tit. de Probat. §. 3.

(x) Iur. civilis controversi P. II. Tit. de Probat. Quaest. III.

(2) CARPOV. Jurispr. for. P. I. Conf. XVII. Def. XXXVI. ANTON. FABER in Cod. Lib. IIII. Tit. XIV. Def. LXVI.

(\*) Diss. de libri §. XIII. citate iuris iurandi suppletoriis, §. IX.

### §. XIII.

Quale sit arbitrium iudicis circa probationem.

Iudici liberum fuisse, num ab actore, aut a reo, ius iurandum exigere vellet, paulo ante adfirmauimus. Ita vero vniuersa doctrina de probatione, quod ad eius quidem usum attinet, ipsius arbitrio relicta, illique auctoritas concessa videtur, de quoouis genere probationis ex animi sui sententia statuendi. Quin forte licuit, probationem, iusto testimoni numero secundum leges absolutam, negligere interdum, contra vero aliam, paucitate inferiorem, ideoque specie debilioriem, admittre, & hanc, iure iurando exacto, fide dignam aestimare. Satis enim est, causam iudici dubiam videri. Sane quam, TULLIO (a) auctore, illud fateri haud erubescimus, ubi, si hoc, inquit, *iudices, praescriptum lege aut officio putatis, testimibus credere: nihil est, cur alius*

alius alio iudice melior, aut sapientior, existimetur. Verum est enim & simplex aurum iudicium, & promiscue, & communiter, stultis ac sapientibus ab natura datum. Quid est igitur, vbi elucere possit prudentia? vbi discerni stultus auditor & credulus ab religioso & sapienti iudice? nimisrum illud, in quo ea, quae dicuntur a testibus, coniectura & cogitatione traduntur, quanta auctoritate, quanta animi aequitate, quanto pudore, quanta fide, quanta religione, quanto studio estimationis bonae, quanta cura, quanto timore, dicuntur. Oratoris quidem, Fonteium defendantis, ea argumenta sunt, attamen ira comparata, ut plane conspirent & consentiant cum rescriptis, ab HADRIANO Imp. hac de re datis, quae L. 3. D. de testi continentur. Iudicem, ait, magis scire posse, quanta fides habenda sit testibus; vtrum unum cumdemque meditatum sermonem attulerint, an ad ea, quae interrogauerat, ex tempore verosimilia responderierat. Non est defectus testimoniis, non inopia probationis, quae hic arguitur, multo magis testimoniorum abundantia deprehendi videtur; at vero haec ne iudici quidem fidem facere, sed ipsius animum potius dubiis inuoluere potuit. Verba rescripti saltem alium sensum vix admittunt. Etenim summa probabilitas facti humani plerumque fidem iuridicam efficit, e contrario probatio plena per duos, immo per plures testes, interdum veritatem non euincit, quin plane fallit.

(a) in Oratione pro M. Fonteio.

#### §. XIV.

Quodsi igitur neque leges, neque usus fori romani, reum semper condemnant, licet actor plene probasse vi-

C

deatur;

Quale olim  
fuerit circa  
absolutio-

nem rei,  
actore aut  
probante,  
aut non  
probante.

deatur; multo minus reum vbiique absoluunt, etiam si actor probatione defecerit. In eadem lege §. 2. idem Imperator adserit: *consentientem veluti famam confirmare quandoque rei, de qua queritur, fidem: non ad unam probationis speciem cognitionem statim adligari debere: ex sententia animi aestimare iudicem oportere, quid aut credat, aut parum probatum opinetur.* Hac lege nititur LEYSERVUS (b), dum statuit: *aliquando unam etiam coniecturam ad probandum sufficere.* Insolitum fere doctrinae genus, multo tamen melius, quam operosa aliorum (c) industria, in excrribendis glossis, Farinacciis aut Pacianis occupata. Largiamur, unam coniecturam tanti momenti esse, ut iudici adsensum quasi extorqueat; quid alia efficit debilior? probabilitatem sane quamdam inducit, sed probationem relinquit imperfectam, vique concludendi destitutam. Iam causa sit dubia. Si partes rei semper essent favorabiliores, is utique absoluendus foret, quia actor non probavit. At vero favorabiliores non sunt, neque fuerunt olim in omnibus. Liceat nobis prouocare ad A. GELLIVM (d), tum iudicem, eiusmodi causam referentem. Petebatur, inquit, apud me pecunia, quae dicebatur data numerataque; sed, qui petebat, neque tabulis, neque testibus, id factum docebat, & argumentis admodum exilibus nitebatur. Sed cum constabat virum esse ferme bonum, notaque & expertae fidei, & vitae inculpatissimae, multaque & illustria exempla probitatis sinceritatisque eius expromebantur. Illum autem, unde petebatur, hominem esse non bonae rei, vitaque turpi & sordida, coniunctumque vulgo in mendaciis, plenumque esse perfidiarum & fraudum, ostendebat. Is tamen cum suis multis patronis clamitabat, probari apud me debere pecuniam datam confusis modis, expensi latrone, mensae rationibus, chirographi exhibiriōne,

etiam si actor  
m Imperator  
quandoque rei,  
speciem cogni-  
aestimare iudi-  
cium opinetur.  
it: aliquando  
nsolutum fere  
operoſa alio-  
rinacciis aut  
eſtūram tanti  
rqueat; quid  
dam inducit,  
i que conclu-  
artes rei ſem-  
is forēt, quia  
non ſunt, ne-  
prouocare ad  
cauſam refe-  
quac dicebatur  
, neque teſti-  
xilibus niteba-  
notaque & ex-  
illuſtria exem-  
Illum autem,  
turpi & for-  
eſſe perſidia-  
multis patro-  
datam conſuetis  
aphi exhibitiō-  
ne,

*ne, tabularum obſignatione, teſtium interceſſione; ex quibus omni-  
bus ſi nulla re probaretur, dimitti iam ſe oportere, & aduersari-  
um de calumnia damnari: quod de vtriusque autem vita atque  
factis diceretur, fruſtra id fieri atque dici. Rem enim de petenda  
pecunia apud iudicem priuatum agi, non apud cenſorem de  
moribus.*

(b) ad Pand. Spec. CCLVII. m. 4.

(c) conſer. IO. BRVNNEMANNI Comm. in Pand. ad L. 3. de teſt.

(d) Noct. attic. Lib. XIII. c. 2.

### §. XV.

Actor nobis hic proponitur, omni probatione defi-  
ciens, immo ne argumentis quidem, ad demonſtrandum  
rem, inſtruſtus, niſi admodum exilibus; ſolus agit, ſine ami-  
cis, ſine parronis, cauſam defendantibus; reus contra, li-  
cer ſubleſtae fidei homo, multis patronis ſtipatus, firmis  
exceptionibus munitus, iuriſ non ignarus, neque uſus fori  
expers, iudicis officium implorans, vrgendo abſolutionem,  
legibus, vti iactabat, congruam. Quis noſtrum, quaefo,  
hunc reum non abſoluere, ſi, auctore non probante, reus  
ſemper eſſet abſoluendus? Quis vero Gellium, iudicem,  
ignorantiae incuſaret, in primis, vbi, prudentes conſu-  
luisse, maniſtentum eſt. Namque arguments, quae iudex  
ipſe admodum exilia cenſet, tanti momenti eſſe nequeunt,  
vt vel iusta ex illis naſceretur praefumtio. Id autem,  
quod de vitæ innocentia, aut prauitate morum, inducitur,  
nimis laxum & generale videtur, quam vt veritas mutui,  
tamquam facti ſingularis, commode eo pareſiat. Praeter  
ea ſuam culpam ipſe prodiſt actor, qui a fallaciſ mendacis

Quod la-  
tius ex-  
penditur.

C 2

atque

atque perfidi debitoris sibi non prospexit. Verum tamen non absolvit reum Gellius, sed **IVRAVIT SIBI NON LI-  
QVERE.** Quin condemnare illum poterat, si non considerasset, suae aetatis non conuenire, ut cognouisse & condemnasse de moribus, non de probationibus rei gestae, videretur.

## §. XVI.

Ratio deci-  
dendi: mo-  
rum probi-  
tas, vitaque  
innocentia,

*hodie vix  
adhibenda,*

Traditus erat mos romanis, obseruatusque a maiori-  
bus, *vt, si, quod inter duos actum erat, neque tabulis, neque  
testibus planum fieri non posset, tum apud iudicem, qui de ea re  
cognoscet, vter ex iis vir melior esset, quaereretur: Ei, si pares  
essent, seu boni pariter, seu mali, tum illi, unde petitur, cre-  
deretur, ac secundum eum iudicaretur.* Hic forte eneunt  
partium iura obscura, quorum pontifex meminit (§. III.).  
Eminent vtique: at vero non obscuriora, atque eo casu,  
vbi ambo litigantes impares essent. Nulla enim lege,  
quod nobis quidem constat, cauetur: *vt probitas morum.  
que innocentia probationis deficientis in locum succedat,  
aut vita male acta probationem, alioqui perfectam, ina-  
nem reddat & irritam.* Ne dicam, fuisse olim simulatio-  
nem, hodieque superesse probitatis & innocentiae simula-  
tores artificiosos, inter iudices autem cogitationis scruta-  
torem neminem; neque ullum a condito terrarum orbe  
sacculum caruisse calumnia, eamque magis adhuc caput  
extollere (e). Ceterum iudiciorum nostrorum forma in  
compluribus longius recedit a pristina romana, quae sen-  
sim insignes mutationes in se ipsa passa est. Liberata ni-  
mirum rei publicae euersa, praetoris romani auctoritas  
simul

fimul cecidit. Sublata etiam esse videtur amplissima illa fidei, integritatis, morumque censura. His tamen omnibus ira comparatis liberum iudicis arbitrium circa materiam probationis non excludi, ne restringi quidem, potuit, & sane, si quae alia in toto iure occurrit, haec est praecipua, vbi eius prudentiae & religioni primus locus merito adsignari debet (f). Alia igitur via incedendum erat, qua, sine opprobrio litigantium, neque abundantia, neque inopia, nec defectus probationum alterutri ius suum facile interuerteret.

(e) conf. quae BRVNNEMMANNVS ad L. 3. D. de Test. verbis TABORIS commentatur.

(f) IVST. HENN. BOEHMERVS I.E.P. Tom. I.L. II. T. XIX. §. 21.

### S. XVII.

Inter ea omnia, quae rectum iudicis, adeo sagaciter peruestigantis, impedire possunt iudicium, difficultimam putamus abundantiam probationum, utrumque exhibitrum. Ancipitem, consilique inopem, hac rerum conditio-

Abundan-  
tia proba-  
tionum pa-  
rat inopiam  
decisionis.

tione eum fluctuare oportet cum OVIDIO:

Sic, quia posse darur diuersas reddere causas,

Qua ferar, ignoro, copiaque ipsa nocet (g).

Ita sane abundantia argumentorum, se oppugnantium, vera causam dat inopiae decisionis. Perspexerunt hanc difficultatem olim non minus Germani simplicitate sua, atque Romani politiores eam adsecuti sunt. Eo enim referendum esse, arbitramur, capitulum, legi Salicae a Ludouico Imp. additum: *Si duo testimonia de qualibet re testimonias*

uerint, & inter se discordant, comes eligat unum ex una parte,  
 & alium ex alia parte, & illi duo decerent cum sustibus &c. (h).  
 En, demonstrationis artificia compendiaria, sensibus cor-  
 poris magis obnoxia, quam animi sagacitate indaganda,  
 quae saeculo, rudique culturae ingeniorum, ignoscere  
 quidem fas est, attamen imitari, aut ad ea prouocare ho-  
 die, non decet, in primis, vbi leges in foro nostro re-  
 ceptae saniora praecepta tradunt. Sit igitur numerus re-  
 stium ytrimque par, non adpareat vitium in eorum condi-  
 tione, sit eadem verisimilitudo in vtriusque partis testimo-  
 niis, argumenta proferantur tam ab actore, quam a reo,  
 aequo pondere. Plane pleneque probauit actor intentio-  
 nem suam, ast eamdem reus perfecta probatione contraria  
 inanem reddidit, omnemque eius efficacitatem penitus su-  
 stulit. Supponimus casum, qui vix vniquam accidit; si  
 autem eueniret, tum sine dubio iudex in decidenda causa  
 sequeretur regulam mathematicorum: aequales vires di-  
 recte sibi oppositas esse in aequilibrio. Quod cum omnia  
 effecta mutuo suspendat: nihil actum, nihil probatum esse  
 videret; quare res eo redit, vbi cepit initium, quia de  
 actoris iure nihil plane adpareret (§. VIII.). Hic certe par-  
 tium iura adeo obscura sunt, vt ad ea dignoscenda augur  
 aut hariolus vix sufficiat, ideoque reus est absoluendus.  
 c. 3. §. Quodsi X. de probat. c. 6. in fine X. de fide  
 instrument.

(g) FASTOR. Lib. V. princ.

(h) Vid. Leges Francorum Salic. & Ripuar. Studio Io. GE. EC-  
 CARDI p. 183.

§. XVIII.

## §. XVIII.

Eiusmodi mensura aut modus quantitatis moralis, quam quidem adhibuisse videmur, aegre locum habet in reliquis omnibus adcurata proportione. Ipsa enim probationis vis, & quae ex ea nascitur, fides aut plena, aut opinio saltē probabilis, tam variis arque adeo innumeris graduum dimensionibus distinctae sunt, ut aequa certaque ratione penitus inter se comparari nequeant. Est numerus testimiorum, est eorum conditio, auctoritas, fides, religio, existimatio, est ratio scientiae, continua, saepeque diuturna, memoriae tenacitas, aequabilis dictorum concentus, & iusta concordia in omnibus, quae rem tangunt, quorum pleraque ita comparata sunt, ut nulla unquam fere probatio alteri aequalis, omnes autem diversae & distinctae a se inuicem censeri debeant. Quam ob rem insuperabilis labor, & superuaca cura, in definiendo exacte gradu non oriri non potest, cuius si terminus certa ratione medius semel constitueretur, tum facile ad reliquarum partium divisionem tuto progrediendum foret (i). Forre eadem BALDV (k) dudum iam animaduerit, propter eaque probationem perfectam aut imperfectam rudi quodam modo, parumque sc̄ita, v̄ri videtur, adsimulatione exprimere conatus est, plenam cum clara luce, semiplenam cum tempore tenebrascente, obscuram denique cum tenebris noctis comparando. Vtcumque sit, haud ineptam iudicamus eam Baldi sententiam, siquidem a plena luce usque ad crepusculum tot deficientis claritatis gradus intercedunt, & ab hoc ad tenebras tantilla sensim augmenta obscuritatis subsequuntur, quae sensibus aequali mensura discerni plane nequeunt;

Imperfe-  
ctae proba-  
tionis non  
datur certa  
mensura  
secundum  
gradus.

ex una parte,  
sib⁹ &c. (h).  
sensibus cor-  
e indaganda,  
, ignoroscere  
rouocare ho-  
o nostro re-  
numeris te-  
corum condi-  
artis testimo-  
quam a reo,  
tor intentio-  
one contraria  
en penitus su-  
m accedit; si  
idenda causa  
les vires di-  
l cum omnia  
robatum esse  
m, quia de  
lic certe par-  
cenda augur  
absoluendus.  
e X. de fide

IO. GE. EC.

§. XVIII.



unt; ut proinde haud insulse dicas, tot tamque indefinitos inter probationem plenam atque imperfectam esse gradus, quot in crescente aut deficiente lumine sibi succedunt visitudines. In his omnibus una tantum clara & manifesta deprehenditur causae conditio, ea nimurum, ubi iudici plena fides sit consummata secundum leges probatione, reliqua omnes defectu laborant, qui, cum certam cognitionem quidem excludat, probabilitatem tamen admittit rei congruam, adeoque insignem quandoque, ut inter hanc & rationem certam parum aut vix quidquam interesse videatur.

(i) CARPOVIVS in processu Tit. XII. Art. II. §. IV. Gratum, inquit, fore tam iudici, quam litigantibus, si certa praescribi posset regula: *quacunam probatio pro semiplena habenda?*

(k) apud FVRV. PACIANVM de probat. L. I. c. III. §. 18.

### §. XIX.

Quid sit  
probabili-  
tas, &  
quanta eius  
vis ad con-  
cludendum

Cum omnis probatio iuridica praecipue suscipiatur facti cuiusdam controvensi gratia, ut veritas, quantum fieri potest,clare patefiat; imperfecta autem probabilitatem tantum efficiat: haec prius utique, quam ulterius progredimur, paulo adcuratius excutienda est. Nascitur probabilitas e cognitione rationum quarundam singularium, quae ad factum quidem integre & plane explicandum non sufficiunt, attamen reliquis ignoris, quas supponimus, minime repugnare videntur. Quo plures eiusmodi rationes, quoque maior earum efficacitas ad concludendum, eo magis crescit, quo autem pauciores adsumunt, aut quo debiliores, eo magis probabilitas minuitur. Enim vero cognitio homi-

e indefinitos  
esse gradus,  
succedunt vi-  
& manifesta  
vbi iudici  
obatione, re-  
pertam cogni-  
tio admittit  
ne, vt inter  
nam interesse  
V. Gratum, in-  
certa praescribi  
habenda?  
I. §. 18.

hominis in facto alieno inuestigando raro adsequitur fasti-  
gium omnibus numeris absolutum, quam ob rem summum  
gradum probabilis, & primum certae rationis, pari fere di-  
gnitate constituere, necesse fuit, licet inter utrumque ma-  
gna intercedat differentia, siquidem id, quod maximopere  
probabile videtur, partem eius tantum, quod vere certum  
est, complectitur. Itaque fieri potest, vt iudicium, sola,  
& summa quidem, probabilitate subnixum, deprehendan-  
tur falsum, scilicet, si ratio vel vna ignota, proprieaque  
deficiens, reliquis, quas compertas habemus, repugnat,  
easque pondere superat, aut vi sua destruit. Eiusmodi  
error, quem ex inductione rationum singularium commi-  
simus, alias vix innotescit, quam euentu plane contrario.  
Felices, quibus non accidit, vt tali errore confundantur.  
Felicem conditionem humanam, cui difficile est, abscon-  
dita quaevis temporis successu perscrutari: quam frequen-  
ter cognitione sua erubesceret!

## §. XX.

Probabilitate rei ad credendum inuitamur, & in adsen-  
sum facile delabimur, attamen interdum pariter opinione  
nostra decipimur. Haec cogitando animus haeret suspen-  
sus, an credit, an dissidat, quoad vel vna ratio sola deest,  
vt vniuersum rei controuersiae statum solida cognitione non  
complectatur. Eam animi conditionem adpellamus dubi-  
tationem, atque causam eiusmodi, quae illam conditionem  
efficit, dubiam. Evidem in decidendis controuersiis fo-  
rensis minime exigimus demonstrationem, quam vo-  
cant,

D

Sola con-  
iectura,  
etiamsi val-  
de proba-  
bilis sit,  
ad plene  
proban-  
dum non  
sufficit.

quantum fie-  
robabilitatem  
erius progre-  
scitur proba-  
singularium,  
icandum non  
ponimus, mi-  
odi rationes,  
dum, eo ma-  
t quo debilio-  
vero cognitio  
homi-

cant, mathematicam, quin potius vltro largimur, fidem  
 iuridicam in plerisque imitari fidem historicam, certis ta-  
 men regulis, e quibus tota eius pendet auctoritas, circum-  
 scriptam (l). Verum enim vero non metuimus reprehensionem,  
 ybi in decem causis, exacta probatione decidendis,  
 vix vnam inueniri arbitramur, quae plenam & perfectam  
 in vniuersis fidem expleuerit, ita, vt omnia plane dubitan-  
 di momenta, si vel exilia sint, penitus excludantur. Quo  
 sagaciore iudex poller ingenio, quo limatiore iudicio vi-  
 tur, eo frequentiora ipsi dubia circa probabilitatem nascan-  
 tur necesse est. Etenim obseruare ea, quae vulgo & quo-  
 tidie sunt, communi sensuum ministerio absoluuntur: ast  
 cogitatione adsequi, mente coniicere, & diuinare quasi,  
 quae contingere possunt, licet non videantur, & specie  
 plane diuersa exponantur, illud tandem prodit perspicien-  
 tiam soleritiamque rationis. Clarior euader res exemplo,  
 quod celeberrimus nostrae aetatis ICtus (m) commode sup-  
 peditat. „Iussa erat in concursu creditorum vidua debito-  
 ris, quae res plurimas, tamquam a se illatas, iure dominii  
 vindicabat, illationem hanc, tamquam dominii fundamen-  
 tum, probare. Et in aliquibus quidem rebus eam semi-  
 plene probarat, vt ad iusiurandum suppletorium admitt-  
 enda esset: in aliquibus vero, maxime in vasibus argenteis,  
 pannis lineis, item scrixiis & cistis, ostendebar tantum  
 gentilitia sua parentumque suorum signa. Hanc vnicam  
 conjecturam sufficere, & nec iureiurando suppletorio  
 opus esse, credidimus.“ Regulariter, teste LAVTER-  
 BACHIO (n), conjecturam praesumtio superat; hanc autem  
 & conjectura nasci recta argumentatione, vix quisquam in-  
 ficiat

ficias ibit. Largiamur: signa gentilitia, vasibus argenteis insculpta, coniecturam efficere, ea vasa profecta esse ab ipsis parentibus, natam porro esse praesumtionem, vidua illa in domum mariti intulisse; si quidem apte praesumuntur, quae communi constitudine fieri solent. Verum tamen praesumtiones hominis relevantes, quas vocant, non numquam constituant quidem probationem, ast semiplemnam tantum (o). Ut adeo mitius, quam par est, cum illa vidua actum esse utique videatur, non exigendo ius iurandum. Concedamus porro, falsi suspicionem non cadere in feminam probam, ac si gentilitia signa breui ante cessionem bonorum, aut paulo post obitum mariti, vasibus insculpta fuerint; nihil minus suspicari licebit, forte emita esse eadem ab socero, aut alio cognato, & generi pecunia olim comparata. Namque id fieri poterat, etiam si signa parentum vxoris in illis incisa manifeste adparerent, neque in honorem familiae vxoris deleta essent. Quare hanc causam multo magis dubiam, quam liquidam, iudicamus: cum contra praesumtionem adeo obliqua seu indirecta admittatur probatio (p), eaque, si hominis sit, nihil certi firmet. Elegant exemplio hanc rem illustrat I. 22. C. de probat.

(l) conf. CHR. THOMASII diff. de fide iuridica §. 10.

(m) LEYSERVS ad Pand. Spec. 257. med. 4. & 5.

(n) in Coll. Theor. pt. Tit. de probat. & praesumt. §. XXXXVIII.

(o) MENOCHIVS de Praesumt. Lib. I. Quaest. LXXXII, n. 6.

TREVTLERVS in lute cii. iustin. Vol. II. Disput. IV. Quaest. XXXIII,

STRYKIVS V. M. P. Tit. de Probat. §. III.

(p) DID. COVARRVVIAS Oper. Tomo I, Cap. IIII, n. 7.

ur, fidem  
certis ta-  
as, circum-  
s reprehen-  
decendit,  
et perfectam  
ne dubitan-  
tur. Quo  
iudicio vti-  
tem nascan-  
algo & quo-  
sultur: ast  
nare quasi,  
& specie  
perspicien-  
es exemplo,  
nonmode sup-  
duta debito-  
re dominii  
fundamen-  
s eam semi-  
uum admit-  
us argenteis,  
bar tantum  
anc vnicam  
suppletorio  
LAVTER-  
hanc autem  
uisquam in-  
ficias

Semiple-  
nam ius ci-  
nile solo  
nomine  
ignorat, re  
adprobat.

Nolumus reportari victoriam ab auctore, qui intentionem suam idonea ratione non probauit, neque magis fauimus reo, propter ea semper absoluendo, quod auctor probatione defecit. Tum autem defecisse dicitur, vbi probationem legitimo modo non absoluuit (§. XI.). Quare crebriorem aut pertinaciorem vix audias in foro rumorem, quam strepentium probationem, eamdem refutantium, & absolutionem idcirco flagitantium. Quod sane mirum videri nequit, cum praeter BARBOSAM (q), ingenitemque ab eo ductam cohortem, complures (r) illud beneficium reo simpliciter attribuant & propugnant. Casus §§. IIII. VII. VIII. XVII. propositos hic plane praeterimus, eos solum tangendo, & breuiter perstringendo, qui dubii videri possunt. In his autem praeter alias connumeramus praeципue eos, vbi auctor intentionem probare coepit, sed non perfecit id, quod instituerat. Exceptionis quidem, a reo oppositae, probationem in praesenti speciatim non moratur, licet in hac parte processus iudiciorum iura vtriusque litigantium pari passu ambulent, nec quidquam in rei magis, quam in auctoris, fauorem trahi debeat (s). Ea vero nostrum argumentum excedunt. Progredimur potius ad probationem imperfectam, aut si maius, ad eam, quam vocant, semiplenam, ab auctore prolatam, qui plenam & liquidam absoluere debebat. Haec non tantam fidem facit, vt iudex secundum eam pronuntiare possit, quod vel e vocabulo *probare*, eoque magis, vbi *manifeste*, *liquido*, *specialiter*, prout passim legimus, appositum est, in usum fori quotidianum haud iniuria promanauit. Eiusmodi igitur probatio,

probatio, licet ad ferendam sententiam in se sola minus sufficiat; ita enim L. 9. §. 1. C. de test. cum VENNIO (ss), STRUVIO (\*), & STRYKIO (\*\*) interpretandam ex iuris analogia arbitramur: plane tamen inutilis atque irrita haud censeretur in L. 3. C. de reb. cred. Sane quam verosimile non est, voce *inopiae* hac in lege probationis vtrumque aequalis conflictum praecise denotari. Quodsi enim verbis adeo stricte incumbere quis velit, is negare nulla ratione potest, per *indicia* L. 20. & 21. C. de probat. plane non intelligi *probationes*, neque *monstrare* furtum in cit. L. 20. significare furtum *probare*; licet vtrumque probationis loco sufficiat. Ita vero imperfecta manifesto admireretur. Quae cum ita sint, aliquod accedit adminiculum, necesse est, quo suscepit probatio, in se sola alias imperfecta, plena & completa quasi, euadat, saltem ut talis videatur, atque ea tandem ratione ad causae decisionem sufficiat.

- (q) Thef. loc. comm. Lib. I. cap. XXIII. ax. VII.
- (r) GOEDDAEV<sup>S</sup> Cons. marpurg. Vol. I. Cons. XXIII. n. 83.  
RITTERSHVS. Cons. altorff. Resp. LXXXVIII.  
ANT. FABER in Cod. L. VI. Tit. V. Def. VIII. n. 1.  
CHRISTINAEV<sup>S</sup> Dec. cur. belg. Vol. II. Dec. LXXXVIII.  
n. 15.  
MARTINI Comment. for. Tir. XXI. §. V.
- L. B. DE COCCETI Iur. ciu. controv. Tom. II. Tit. de probat.  
Qu. III.  
SEYFART im teutsch, Reichs-Proces C. XXI. §. 7.
- (s) CARPOV. P. I. Const. VIII. Dec. XXVIII, n. 5.
- (ss) Select. Quaest. L. I. Cap. XLIV.
- (\*) Euolut. controv. ad Exercitat. XXVIII. th. V.
- (\*\*) de probat. Semipl. Cap. I. §. VI.

Cui subuenit iure-  
iurando, li-  
cet id ip-  
sum non  
videatur  
probatio.

Mitramus alia sustentacula, quae huius rei causa pro-  
ferri solent, & solum iusiurandum paulo adcuratus con-  
templemur, quippe quo prae reliquis adminiculum vehe-  
mens adjici dicitur, ita, ut defectum probationis tollat,  
eaque euadat plena (t). Itane ipsa sacramenti religio est  
probatio? Videtur vtique, & hoc quidem casu semiplena.  
Alias enim iusiurandum etiam perfectae probationis vices  
subit, scilicet, vbi alter litigantium eo solo rem decidi, ab  
initio pactus est, ut iudex, iuramenti fidem secutus, de rei  
veritate sententiam suam formare possit. L. 25. §. 3. D. de  
prob. & praef. At enim vero iusiurandum, ab alterutro  
praesitum, siue a parte delatum, siue a iudice exactum  
fuerit, reuera testimonium in propria causa efficit. Quod  
cum legibus plane prohibitum sit, L. 10. D. & C. de testib.  
consequitur: iusiurandum aut non esse probationis genus,  
aut ab omnibus aliis longe diuertere. Idem olim obserua-  
uit HIERON. CAEVALLOS (u), dum, iureiurando, in-  
quit, non absolu veram probationem, sed tantum quam-  
dam praesumptionem effici pro illo, qui iurauit, ut, vera  
eum dixisse, credatur (v). Quodsi rem adcuratus per-  
pendimus, luculente adparer, iusiurandum a parte alteri  
delarum continere quasi transactionem, vi cuius deferens  
promittit, velle se aduersario victa manus dare, iureque  
cedere, si is dictorum veritatem sacramenti religione con-  
firmauerit. Ea ratio quidem permittit, iusiurandum po-  
stulari etiam ab iis, qui alioqui non iurarent, L. 26. D. de  
iureiwr., at rescindit sententiam, secundum iusiurandum la-  
tam, non patitur. L. 31. eod. L. 12. §. 3. C. de reb. cred.

(t) SAM.

- (t) SAM. STRYKIVS de probatione semiplena, Cap. II, §. VII.  
 (u) Spec. opinion. commun. contra comm. Tomo III, Quaest. DCCCXL. n. II.  
 (v) Longe a nobis recedit D. NICOL. IO. MITTAG in diss. de probatione per delationem iuramenti, prael. Ill. I. H. BOEHNERO propugnata.

## §. XXIII.

rei causa proculatus conniculum vehe-  
 rationis tollat,  
 anti religio est  
 ista semiplena-  
 tationis vices  
 m decidi, ab  
 ecutus, de rei  
 25. §. 3. D. de  
 ab alterutro  
 dice exactum  
 sufficit. Quod  
 C. de testib.  
 tationis genus,  
 olim obserua-  
 ieurando, in-  
 tantum quam-  
 uit, vt, vera  
 curatus per-  
 a parte alteri  
 ius deferens  
 are, iureque  
 religione con-  
 iurandum po-  
 L. 26. D. de  
 iurandum la-  
 eb. cred.

Superefst alterum genus sacramenti, nimirum id, quod iudex exigit. Verum hoc argumentum forte adhuc iam nimis late tractauimus, adeo, vt vereri deceat, ne vsus iuri-  
 siurandi prolixa commentatione magis familiaris reddi videatur, cum coarctari omni studio debeat. Vtrum iure, an iniuria, emplastrum aeris alieni audiat, perinde nobis est. Illud magis moueret, si crebritas iurandi ad periu-  
 rum inuitaret, viamque muniret peierandi, prout SAL-  
 MASTQ (x), criticum agenti strenue, & ludenti iure confu-  
 lunt, viderur, propter eaque iusiurandum christianis  
 prorsus prohibitum esse, statuenti. Non est metuendum,  
 quod magno viro curam iniiicit. Etenim rerum moralium,  
 quippe quae certo pretio aestimari nequeunt, non eadem  
 ratio est, atque earum, quae pecunia comparantur, ideo-  
 que propter abundantiam vilescant. Itaque neminem diuini  
 timoris in contemnendo iureiurando immemorem, vt saluti pro-  
 priae villam commodum anteponat, Imperatores arbitrati sunt.  
 L. vlt. C. ad L. Iul. repetund. Non licet judici hodie, vt  
 olim, iurare, sibi non liquere: exoleuit mos, traditus an-  
 tiquis romanis, vt, si anceps causa videbatur, iudex quae-  
 reret, vter ex litigantibus vir melior esset, &, si alteruter  
 esset

(t) SAM.

Iurisiuran-  
 di usum  
 necessitas  
 exigit.

esset melior, secundum eum iudicaret, (§. XVI.) probatio-  
nes adhuc, prout semper consuevit antea, imperfectae  
proferuntur: causa propter defectum probationis legiti-  
mae liquida non sit, sed anceps euadit & dubia; si igitur  
ea conditione reus semper absoluendus foret, tum sane  
sententia saepius repugnaret iudicis opinioni atque praesumtioni.  
Attamen litem dirimere oportet. Quid igitur  
faciendum, vbi ambo sibi dissidunt mutuo, vt neuter ad-  
uersarium, praestito iureiurando, in propria causa testem  
admittere audeat? Ne controversia fiat perpetua, nullus-  
que litium finis inueniatur, licet iudici iusurandum exige-  
re, eaque ratione causam definire.

(x) Dissert. de foenore trapezitico, p. m. 268. seq.

Iusurandum in ma-  
teria pro-  
bationis  
iuri ciuili  
congruere  
demon-  
stratur.

Hanc vero rationem decidendi causas, propter defec-  
tum probationis dubias, ignotam fuisse in republica libe-  
ra, neque vsu frequentem saeculo Imperatorum primo,  
deinde consuetudine, non lege, introductam, post ea ma-  
gis magisque increbuisse, & Iustiniani demum aetate vulgo  
vbiique receptam, demonstratam historia, quam legum  
inter se comparatio. A Gellius, homo adolescens, quod  
ipse refert, iudex, magnopere sollicitus erat, quomodo,  
deficiente probatione actoris, cui tamen ob probitatem vi-  
taeque innocentiam fidem habebat, litis exitum inueniret  
(§. XIII.). Cur autem iusurandum non exigit, si mos ille  
iam traditus erat? Evidem probabile non est, Phauori-  
num moris recepti ignorantia fuisse, si vel de ipso Gellio id  
suspi-

XVI.) probatio-  
nem, imperfectae  
bationis legitimi-  
tubia; si igitur  
eret, tum sanc-  
tioni atque praec-  
cepto. Quid igitur  
est, vt neuter ad  
aliam causa testem  
perpetua, nullus  
iusiurandum exige-  
tur, propter defe-  
ctionem republica libe-  
ratorum primo,  
nam, post ea ma-  
jorum aetate vulgo  
a, quam legum  
adolescens, quod  
erat, quomodo  
prohibitam vi-  
xitum inueniret  
regit, si mos ille  
n est, Phanori-  
e ipso Gellio id  
suspi-

suspiciari licet. Attamen paulo post receptus est, Pio  
imperante, cuius aeratem ipse Gellius senex attigit. Te-  
statur illud CAIVS L. i. D. de iurei. maximum remedium  
expediendarum litium in usum venit iuriis iurandi religio. A  
DIOCLETIANO lata est L. 3. C. de reb. cred. iuriis iurandi  
causa. Denique IVSTINIANVS L. 12. pr. eod. iam, in-  
quit, increbuit, iudices in plenissima definitione sacramentum im-  
ponere; vt eo tempore iuriis iurandi usus adeo in abusum de-  
generasse videatur (y). Plenissimam definitionem hic ni-  
hil, puto, aliud significare, quam causam adeo planam &  
liquidam, vt eius decisio nulla dubitatione impediri posset.  
Et in tali tamen causa iudices sacramentum imposuerunt:  
supervacuum sane erat; at increbuerat, usum, propter im-  
perfectam probationem necessario, in manifestum abusum  
conuerso. Alioquin aegre, immo vix umquam concipi-  
mus animo, qua ratione increbescere potuerit, vt in pla-  
nissima causa sacramentum imponeretur, nisi antea mori-  
bus & usum fori idem inuestum fuisset in causis dubiis.

(y) confer. HEINECCI disl. de lubricitate iuriis iurandi, Suppletor.  
§. XVIII.

### §. XXV.

Index iniungit iuriis iurandum cum auctoritate; cui illud  
parti impondendum sit, ipse aestimat ex natura litis & argu-  
mentorum pondere; L. 31. D. de iureiur. & quidem, co-  
gnita huic usque causa, in omnibus negotiis ciuilibus, siue  
sunt bonae fidei, siue minus, inopia probationum illud eum  
exigere oportet. L. 3. C. de reb. cred. (\*) Illatum auctori,  
legitime non probanti, suppletorium, reo autem neganti,  
at praeumptionibus tamen contrariis onerato, purgatorium

E

adpel-

Oppugnan-  
tibus iuriis  
iurandum  
suppletori-  
um respon-  
detur.

adpellamus. Vtrumque, quod ad nomen, a iure civili alienum, quod ad rem attinet, legibus adprobatum, generali vocabulo *adsertorii veritatis* continetur. Quod ad suppletorium iusurandum speciatim attinet, dura quidem & periculosa obrudi videtur conditio litiganti, si testem aduersarium, cui ipse dissidit, contra se in propria causa admittere, decreto iudicis cogitur; id quod osores huius iuramenti non ultimo loco obiciunt & vrgent (z). Equidem si verum fateri volumus, actor, qui probatione defecit, a iudice tamquam testis idoneus, cui fidem habere, & cuius religioni decisionem superstruere possit, adhibetur. Tantum igitur ipsi in sua, quantum optimo & honestissimo viro in aliena causa, creditur. Quam ob rem, reprobatum legibus eiusmodi testimonium, clamant. Atamen non magis reprobatum est, quam illius, cui imperari poteat, ut testis fiat. Vterque, & testis sub imperio, & in re sua, non idoneus est. L. 6. & L. 10. D. de test. Inter ea serui responso tunc credendum est, cum alia probatio ad eruendam veritatem non est. L. 7. cod. tit. Quidni bono proboque viro credendum erit, postquam argumenta verosimilia & probationum indicia iam attulit tanta, quibus nihil, nisi complementum legitimum, deesse videatur? praesertim, vbi aut contra ipsum, aut contra eius argumenta, non oritur praesumtio aduersa. Porro solent obiicere l. 1. D. pr. quar. rer. actio n. d., quasi quis, praestito hoc iureiurando, iudex sibi in propria causa constituatur.(a) Ast hic iterum salua res est, siquidem illa lege de solo iureiurando delato agitur, quod, ex pacto & conuentione partis aduersae, perfectae probationis robur adquirit, ea que

que demum ratione sententiae fundamentum praebet, quod ante §. XXII. obseruauimus. Natus iste error & profectus esse videretur ab alio, in quem BARTOLVS FABRVM deduxit, quasi iusurandum suppleriorum non possit a iudice vltro iniungi, si non peratur a parte (b); tum vero iurarius se ad sacramentum fere obtruderet, propter eaque suspectus haberi posset. At vero operaे pretium non est, vt his respondeamus latius, cum e praemissis abunde diluantur. Denique animaduertendum est praeципue, sententiam, proper hoc iusurandum latam, non esse absolu- te peremptoriam, sed potius causae retractationem iterum dari, si probationes in contrariam partem de nouo subuenient, modo fuerint exemplo clarae & liquidae. L. 31. D. de iureiur.

(\*) MEVIVS P. III. decisi. 417. P. V. dec. 172.

(2) HEINECIVS cit. diff. §. XIV.

(a) ANTON. FABER in Cod. Lib. IV. Tit. I. def. IV. n. 7.

(b) l. cit. n. 4.

### S. XXVI.

Libenter quidem concedimus, hocce iusurandum indistincte atque promiscue vbiuis non exigendum, sed caute potius admittendum esse, ne nimia confidentia litigatores ad illud, tamquam certum adminiculum, configiant, crebritasque eius abusum tandem pariat, quin in quibusdam causis illud admiriti plane nequit (c). Veremur autem, ne cautiones & circumscriptiones, a MYSINGERO (d) positae, vbi a iudice sollicito religiose obseruantur, id in compluribus causis, vbi alioqui eo vti liceret, excludant,

E 2

breui-

Vbi supple-  
torio locus  
fit.

breuique tempore, adstipulatu in primis HEINECII, penitus in exilium agant. Sufficere videntur conditiones, ad quas ARN. VINNIUS (e) iurisurandi suppletorii usum restringit, siquidem & lege expressa nituntur, & e reliquis praecipuis prona argumentatione fere comprehendunt, nisi forte difficultatem quaerere malis in conditionum copia, quam necessariis adquiescere. Ut momenta causae primo loco index exacte perpendat, deinde, ut in indolem, mores &, quae dicunt, merita viriusque litigantis sedulo inquirat, officii ratio postulat. Id enim, quod cordati romani in decidendis eiusmodi causis obseruare solebant: utrum ambo pares essent, an alter vir melior? in exigendo sacramento neque hodie negligendum esse, arbitramur. Causam vero dubiam requiri, antea ostendimus; ea est, ubi quidem aliquid probatum, ast non tantum, quantum ad illius decisionem leges praecipiunt. Adcommodemus nos ad usum fori, & semiplenam probationem statuamus ad iusiurandum imponendum necessariam; omne nunc negotium facessit adcuratam semiplenae definitio. Eam esse dicimus generatim, quam prudens & religiosus index talen aestimauerit, siue vnius hominis testimonio, siue plurium effatis, siue argumentationibus e rei natura deductis, siue graui praesumtione, siue fama continua, absoluatur, modo non obsint usquam indicia contraria. Quae enim argumenta AD QUEM MODUM probandae cuique rei sufficiant, nullo certo modo satis definiri potest. Itaque iudicem ex sententia animi sui aestimare oportet, quid aut credat, aut parum probatum sibi putet. L. 3. §. 2. D. de test.

(c) conf.

- (c) conf. I.O. SAM. STRYKII diss. de causis iuramentum supplet.  
responentibus.  
(d) Centur. I. obseru. LXVIII.  
(e) Select. Quaest. Lib. I. c. XLIV.

## §. XXVII.

Aegre & iniuiti paene mentionem fecimus iurisiurandi purgatorii in hac materia (§. XXV.), &, licet ipsum sacramentum admittamus, nomen saltem valde displiceret. Notum est, purgationem canonica successisse in locum terrac illius superstitionis, qua purgatio, vulgaris dicta, olim absolvebatur, cuius rei c. 8. X. de purgat. canon. exemplum praebet. Vtraque, & vulgari, & canonica, peractam esse, constat, probationem innocentiae a suspecto super aliquo scelere, qui conuinci non poterat. Iuriurando suppletorio non esse locum, nisi in causa ciuilli, contra in criminalibus illud plane excludi, communi doctorum opinione confusus tradit MYSINGERVS (f), adprobante HEINECCIO (g). Quo autem pacto purgatorium, criminalibus causis subleuandis praeserrim natum & excogitatum (h), ciuilibus hoc nomine admisceatur, vix perspicimus. Exigi solet sacramentum a reo, negante intentionem actoris, qui, probatione legitima deficiens, & ne semiplenam quidem adsecutus, argumentis tantum probabilitibus suspicionem contra reum excitauit, iisque in adsensum fere pertraxit iudicem. Eiusmodi causa omnino dubia euadit, neque litis exitus facile reperitur, nisi exacto iureiurando ab altera parte, quam iudex arbitratur idone-

De iureiurando,  
quod vocant, purgatorium.

F

am,

(c) conf.

am, vt testis fiat in propria causa. L. 31. D. de iureiur. Hoc igitur casu reus non absoluendus est prius, quam iurauerit bonam fidem, qua actori contradixit, prout recte monet Illustr. Dom. DE CRAMER (i), minime autem propter ea, vt se de crimine obiecto purgaret. Ceterum illud iusurandum assertorium, siue, vt vocari etiam solet, decisorum necessarium, cum purgatorio in causa criminali, vulgo confunditur (k), eiusque origo & usus, quatalis, scilicet assertorii, ad ius ciuale recte refertur (l). Quodsi inter utrumque nullum discrimen statuitur, tum iusurandum calumniae non minus adpellandum foret purgatorium, vbi illud a iudice ex officio imponitur, quando presumptio adeat, malitiose aliquid propositum aut peritum esse in quacumque iudicij parte. Certe Io. STRAVCHIVS (m) iusurandum purgationis iure ciuili in causis ciuilibus locum inuenire negat, licet a CHRIST. THOMASIO (n) reprehensus fuerit.

(f) Cent. I. Obs. LXVIII.

(g) cit. dissert. §. XXVII.

(h) CARPZOV. Pract. crim. Qu. CXVI. n. 58. seq.

BOEHMER. I. E. P. Tom. V. Lib. V. Tit. XXXIV. §. VII. sequ.

CHRISTOPH. BEYERI Tract. de origine & natura praediacionum in iureiurando Cap. II. §. LV. seqq.

(i) in den wetzlar. Beiträgen loco sup. cit.

(k) conf. DE WERNHER P. IV. obs. CLI. n. 405.

(l) conf. EL. AVG. STRYKII diss. de iuramento purgatorio in causis ciuilibus.

LAVTERBACH. Coll. th. pr. Tit. de Iureiur. §. XLVI.

(m) ad ius iustinian. diss. XXV. th. XXVI.

(n) in annotat. ad Strauchi ius iustin.

§. XXVIII.

## §. XXVIII.

D. de iureiur. rius, quam iuri- t, prout recte minime autem ret. Ceterum vocari etiam so- rio in causa cri- go & usus, qua e refertur (1). statuitur, tum dum foret pur- ponitur, quando situm aut perie- e IO. STRAV- ciuili in causis HRIST. THO-

seq.  
J. §. VII. sequ.  
natura praeudi-  
to purgatorio in  
. XLVI.

5. Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt  
urn:nbn:de:gbv:3:1-164275-p0045-1

Hoc iusjurandum eodem modo, vii de suppletorio retulimus §. XXV., cause retractationem de nouo fieri patitur, quia iudex illud exegit in re, propter inopiam probationis dubia; haec vero probationem contrariam non excludit (o), si illa liquido & manifeste absolui potest. Ita intelligimus verba legis 31. D. de iureiur. *si quis noua instrumenta se inuenisse dicet, quibus nunc SOLIS usus fit, ut adeo probationem testibus peragendam hoc casu non liceat, censeamus.* Durum nimis & inhumanum foret, alterutrum absolute condemnare, minimum iure suo exuerre, propter solum iusjurandum contra veritatem facti ab altero praefitum, cuius tamen falsitas ope documenti, antea ignoti, iam continuo & luculente demonstratur. An res pari modo comparata sit, praefito iureiurando purgatorio in causa criminali, generatim adfirmare dubitamus. Quod si in processu accusatorio expeditum foret, quippe in quo accusator actoris partibus fungitur, cuius repulsa cum insigni damno connexa est; de inquisitorio saltem alter statuendum videtur, ubi purgatorium plenam & perpetuam absolutionem efficere, putamus, neque decere ipsum iudicem, ut eamdem causam, quam semel decidit, siue ut iudex, siue ut pars, post ea iterum suscitet, & de nouo agat. Attamen LAVTERBACHIVS, (p) CARPO- VIVS, & complures alii, illud discrimen haud animad- uerunt.

(o) EL. AVG. STRYKIVS in cit. diff. Sect. I. n. 70. quo cum omnes consentiunt.

(p) Coll,

(p) Coll. theor. pr. Tit, de iure, §. L. I. CARPZOVIVS quidem  
Iur. for. P. I. C. XXII, def. XX. eamdem opinionem tuerit, sed  
de accusatione ibi praecise agit. Contra in Pr. crim. P. III.  
Quaest. 116. n. 77. iuriuando purgatorio effectum absolutio-  
nem definitiuae plane tribuit. Eum quoque sequitur BRVN-  
NEMANNVS in proc. inquis. Cap. IX. n. 6.

## §. XXVIII.

Eamdem prudentiam, vt probationi deficienti succur-  
rerent sacramento, eaque ratione item finirent, non mi-  
nus Germaniae populis olim placuisse, constat. Quod  
ad Saxones, large tractat illud argumentum HEINEC-  
CIVS (q). Si Burgundionum legem ciuitate germanica  
donare velis, e Tit. LX. §. IV. idem non minus adparet.  
Optime vero hanc rem illustrat & comprobat lex Baiua-  
riorum Tit VIII. Cap. XVI. §. III. In his causis sacramenta  
praestentur, in quibus nullam probationem discussio iudicantis in-  
uenierit. Itaque & cum moribus patriae antiquis, & cum  
iure recepto, adserio nostra aequa conspirat.

(q) Elem. iur. germ. L. III. Tit. VI. §. 186.

---

§. II. lin. 2. del. §. 2.

---

**ULB Halle**  
001 601 61X

3



TA->OC



B.I.G.

Farbkarte #13

Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
Blue																				
Cyan																				
Green																				
Yellow																				
Red																				
Magenta																				
White																				
3/Color																				
Black																				

AVSPICALIS IVRIDICA

DE  
N ABSOLVENDO  
TIAMSI ACTOR  
IONE DEFECERIT

QVAM  
RVM ORDINIS AVCTORITATE  
B MODERAMINE  
STRIS ET CONSULTISSIMI  
**WILIELMI GADENDAM**  
I.V. ET PH. D.  
VSTITIAE ET IVRIS P.P.O.  
O LICENTIA  
VTROQ. IVRE HONORES  
TIME CAPESSENDI  
IX, APRIL. CIC JCCC LXVII.  
VBLICE DEFENDET  
AVCTOR  
IC. CHRISTOPHORVS BVCK  
ILSTEDIO-HOLSATVS.  
KILIAE  
FICINA BARTSCHIANA.